

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0303

Sabato 06.05.2017

Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale all' incoronazione dell'immagine della "Madonna Salute dei Malati" presso la Cattedrale-Santuario della Diocesi di Świdnica (Polonia) nel centenario delle apparizioni della Madonna di Fatima (13 maggio 2017)

In data 11 marzo 2017, è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Zenon Grocholewski, Prefetto emerito della Congregazione per l'Educazione Cattolica, come Inviato Speciale del Santo Padre alla cerimonia dell'incoronazione dell'immagine della "Madonna Salute dei Malati", presso la Cattedrale-Santuario della diocesi di Świdnica (Polonia), in programma il 13 maggio 2017, nel centenario delle apparizioni della Madonna di Fatima.

L'Em.mo Card. Zenon Grocholewski sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do Mons. Stanisław Zdzisław Chomiak, Cancelliere della Curia diocesana di Świdnica;
- Rev.do Mons. Jan Baginski, già Parroco della parrocchia dei Santi Stanislao, Vescovo e Martire, e Wacław, Martire, a Świdnica.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale:

Lettera del Santo Padre

*Venerabili Fratri Nostro
ZENONI S.R.E. Cardinali GROCHOLEWSKI
Congregationis de Institutione Catholica Praefecto Emerito*

Veniens centum ante annos die XIII mensis Maii in Fatimensi loco Mater Salvatoris, parvos per pueros homines omnes, potissimum vero christianos, ad sinceram conversionem, paenitentiam agendam, assiduum orationem suoque Immaculato Cordi consecrationem sollicitè monuit, sic viam indicans ad pacem restituendam animasque plurium peccatorum ab aeterna damnatione salvandas. Quo die Nos, vestigia sequentes Praedecessorum Nostrorum, illic una cum piorum peregrinorum turba, Reginam Pacis venerabimur et precabimur.

Novimus autem ex litteris Venerabilis Fratris Ignatii Dec, Episcopi Suidniciensis, eius in Cathedrali Ecclesia eodem die claram imaginem Beatae Virginis Mariae coronatam iri, nempe diadematibus quae tempore visitationis in Polonia Ipsimet die XXVIII mensis Iunii superiore anno Czenstochoviae benediximus. Egregius hic Praesul petivit humanissime ad sollemniorem efficiendum memoratum coronationis ritum magisque honorandam Dei Genetricem ut Nos Patrem Purpuratum seligeremus, qui apud celebre hoc Suidniciense sanctuarium personam Nostram gerat. Te quidem, Venerabilis Frater Noster, dilectae Poloniae Nationis eminentem Filium, qui Nostris Decessoribus et Nobis tot per annos aderas operam praestando in cura cotidiana universae Ecclesiae, ad hanc honorificam sane missionem destinamus. Quapropter hisce Litteris **Nostrum Missum Extraordinarium** te nominamus ad supra dicti ritus incoronationis officium sollemni modo die XIII proximi mensis Maii Suidniciae peragendum.

Liturgicis celebrationibus praesidebis Nostramque benignam istic adstantibus significabis salutationem, praesertim eiusdem communitatis Pastori. Populum deinde congregatum prudenter hortaberis ut Beatissimam Virginem Mariam, ibidem sub titulo Salutis Infirmorum invocatam, pientissime colant, cotidie rosarium precantes, et se suasque familias et communitates maternae custodiae offerant ipsius “Quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol” (*Ct* 6,10). Singularem hoc die licet breviter recordari plurimos per saecula credentes, variis morbis vel moeroribus afflictos, qui eius potentem intercessionem haud inaniter invocabant, inter quos numeratur etiam certus sodalis Societatis Iesu Franciscus Paravicinus, saeculo XVII inopinate sanatus, qui inde cultum Matris Dei in hac memorata Suidniciensi imagine sustinuit.

Ceterum hic eventus magni videtur momenti, quoniam iuvenis dioecesis, tertio inito christianae aetatis millennio constituta, per aestimabile hoc sanctuarium conferre valde potest ad semper catholicae Silesiae fidem roborandam. Utinam ergo populus illuc conveniens multa inveniat omne genus auxilia, sed plurimas quoque afferat laetitia moerenti Deiparae eiusque divino Filio, qui “in sole posuit tabernaculum suum” (cfr *Ps* 19,5).

Nos profecto precibus comitabimur tuam missionem, dum iam nunc fidentes te, Venerabilis Frater Noster, committimus amantissimae tutelae Sanctae Dei Genetricis et Poloniae Reginae. Apostolicam denique Nostram Benedictionem prolixè tibi imprimis elargimur, cum omnibus ad quos nunc mitteris communicandam, vicissim pro gravi Nostro Petrino ministerio exercendo preces postulantes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXI mensis Martii, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS

[00685-LA.01] [Testo originale: Latino]
